

Kem

f 529

Kern 1529

SCHEDIASMA INAUGURALE MEDICUM,
SISTENS
MEDITATIONES
QUAS DAM
IN
MEDICINAM PRACTICAM
GENERATIM:

QUOD,
CONSENSU FACULTATIS ILLISTRIS,
PRAE SIDE
VIRO ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO,
IO. CHRIST. REIL,
MED. ET CHIRURG. DOCT.
PROF. THERAP. PUBL. ORDIN., DIRECT. INSTIT. CLINICI,
ACADEM. IMPERIAL. NAT. CURIOS. SODALI,

PRO
SUMMIS
IN MEDICINA HONORIBUS
DIE XXV. OCTOBRIS MDCCXCIII.
RITE OBTINENDIS
PUBLICÉ DEFENDET

AUCTOR
DAVID ELKAN DANIELS,
REGIOMONTO - BORUSSUS.

HALAE,
TYPIS GRUNERTIANIS.

Dr. Prof. Klemm

ANNO 1593 ETATZTIANI AUFZAHED2

SCHLÖSSER IN HESSEN

MAGDEBURG

DRUCKTIANA VON HESSEN

IN HESSEN

ANNO 1593 ETATZTIANI AUFZAHED2

MAGDEBURG

SCHLÖSSER IN HESSEN

MAGDEBURG

SCHLÖSSER IN HESSEN

MAGDEBURG

EICHTER TÖTENBERG

MAGDEBURG

NOTIZIA

SCHLÖSSER IN HESSEN

MAGDEBURG

SCHLÖSSER IN HESSEN

MAGDEBURG

SCHLÖSSER IN HESSEN

MAGDEBURG

*Non eram, lectores, nescius, cum, quae summis
ingeniis exquisitaque doctrina medici magnis
voluminibus tractavissent, ea his paucis pa-
ginis confignarem, fore, ut hic meus labor in
varias incurreret reprehensiones. Tyroni enim
medico, nisi certa quadam atque modesta ratio-
ne sermonem habeat, sere numquam ignoscitur
audacia proponendi correctiones et quasi resor-
mationes studiorum. Nihil tamen eo minus ne-
gari non potest, tyronem, qui solertia haud
vulgari et indefessu artis medicae disciplinam*

A 2

hau-

haufit, posse et melius et liberius iudicare de ratione melius instituendi et uberioris augendi ambitionum scientiarum, quam vir, longa annorum serie praeditus, qui studiis domesticis iamdiu impalluit, et qui amisit fere proclivitatem, nova suscipiundi et in usum vertendi. Opiniones itaque meas, satisfactorus legibus academicis, ut potero, exponam, „nec tamen, quasi Pythius „Apollo, certa ut sint et fixa, quae dixero; „sed ut homunculus unus e multis, probabilia „coniectura sequens. Ultra enim, quo progre- „dior, quam ut veri videam familia, non habeo. „Certa dicent ii, qui et percipi ea posse dicunt, „et se sapientes esse profitentur.”

Iure suo omnino auctor ille antiquus *legis*, quae sub *Hippocratis* nomine fertur, et praeclarissimam et amplissimam et difficillimam omnium artium medicinam pronunciavit. Quisquis enim, inquit, medicinae scientiam sibi vere comparare voluerit, eum hisce niti oportet: *natura, doctrina, loco studiis apto, institutione a puero, studio et industria, atque tempore.* Primum igitur omnium *natura* opus est. Natura enim repugnante, irrita omnia. Eadem vero viam ad optima demonstrante, artis doctrina contingit. Quam ipsam cum prudentia sibi comparare oportet, ita ut institutio a puero accedat, idque in loco a natura ad disciplinam accommodato. Amplius et industriam adhibere oportet: eamque ad multum temporis, ut scilicet disciplina in naturam versa ac veluti ingenerata, feliciter et copiose fructus proferat. Qualis enim eorum, quae terra producit, consideratio est, talis etiam medicinae cognitio. Natura enim nostra velut ager est: dogmata praceptorum velut semina sunt. Institutioni a puero cum eo

convenit, quod opportuno tempore semina terae committere oportet. Locus autem, in quo disciplina contingit, est velut ambiens aér, e terra nascentibus praebens nutrimentum. Studium vero cultura est. Tempus postremo haec omnia corroborat, ut perfecte enutriantur. His igitur ad artem medicam allatis, et vera ipsius cognitione páratá, tandem, non sermone tantum, sed et usu et opere medicos haberi convenit.

2.

Haec ex ore vetustissimi auctoris percepta uberiori commentario illustraturi, supersedere possumus demonstrationi gloriae et eminentiae artis nostrae, quippe quae ab omnibus agnoscuntur, neque eger defensione. Quamvis enim saepius spernatur medicorum dignitas et officium a sciolis et garrulis hominibus; refugiunt tamen, quoties aegritudine corripiuntur, ad medicos ante a se spretos. Quid quod ipse celeberrimus medicorum adversarius et contemtor, *Rousseauvius*, in extremo periculo refugium ad medicorum artem concedat; ipseque senex,

cal-

calculis laborans, *Beguii de Preſle* opem imploraverit? Sic ipſe, optime ſibi non conſtant, intellexit, quam praeclarum quamque praeſtantissimum medico officium incumbat, qui, mitigando dolores aliorum, minuendo calamitates humani generis, rei publicae inſerviat. Taceant itaque vituperatores, atque hoc ci- vis Genevensis exemplo diſcant, quanopere ſibi contradicant, qui tam falutarem atque neceſſariam generi humano artem conden- re audent.

3.

Quod amplitudinem artis noſtræ attinet, negari quidem non potest, medicum *artificem* doctrina inſigni atque exquifta haudquaquam egere, neque neceſſe eſſe, ut ſatis politus ſit iis artibus, quas, qui tenent, eruditii appellantur. Probe hoc ſcit, atque egregie imbibit hanc ſententiam medicorum vulgus, quod mu- lto ſaepius fortunae quam arti debet, quidquid boni ex ipſorum arte redundant. Quodſi autem candorem animi adhuc retinuerint, neque pro- fufus occalluerint; alio modo ſecum contenti eſſe
atque

atque sibi ipsis placere nequeunt, nisi fuerint
conscii, se operam navasse, ut vere possint rei
publicae inservire. Inter ludos enim iocosque
haudquaquam addiscitur ars nostra, sed studiis
affiduis atque observatione indefessa fidaque sta-
tus morbos. Arcto nubitur nexu cum pluri-
mis aliis disciplinis, quas vel strictim ac modi-
ce, quasi aliud agens, attingere, vel ad ima
ipsarum adyta usque penetrare debet medicus.
Ecquis enim medicus forensis sibi ipsi sufficere
potest, nisi chemiam, botanicam, anatomiam,
chirurgiam probe calluerit, ipsaque iurispruden-
tiae limina salutaverit? Hoc itaque modo co-
haeret ars nostra cum toto fere scientiarum am-
bitu; neque plures forte exstant scientiae, quae
tot poscunt lemmata ex aliis artibus, quot ars
nostra requirit iam ex physicis, modo ex phi-
losophicis, nunc ex mathematicis principiis.
Hoc valet praesertim de aetiologya, quae recte
tractari nequit, nisi respicias fere ad prima
rerum principia, mutuaque accipias postulata
theoremata ex aliis scientiis. Ecquis enim caus-
fas febrium, intermittentium exponere potest,

9

quin ad mephitici aëris qualitates aut ad paludum effluvia refugiat? Quae quidem doctrina in chemicis et physicis amplius et uberius exponitur.

His iam argumentis elucet difficultas artis nostrae atque arduum plane et pericolosae plenum aleae negotium, quod suscipiunt, qui medicinae nomen dare audent. Multo magis vero impedita apparet atque difficultatibus insignioribus premitur, si consilium ad internam eiusdem qualitatem et intensivam quasi rationem magnitudinis transtuleris.

Requirit enim naturae dotes haudquam vulgares, facultatem observandi, veraque a falsis discernendi praestantem, vim singula distingendi et individuos quasi casus a generalibus regulis separandi, has iterum ad illos dilucidandos adhibendi, iudicium acre, et rapidum flumen ingenii, quo inveniantur similia momento citius, quo autem discernantur iterum eae assertiones, quae veri speciem praeferunt, ab iis, quae magis fallaces sunt.

Quan-

Quanquam hae quidem naturae dotes per quam necessariae sunt, nihilo tamen minus non sufficiunt, quod multorum ignavia perhibet. Est enim non leve quoddam hominum genus, qui medicinæ studio tenentur illi quidem, verum non eruditorum hominum arte contineri, sed in quodam ingenii specie versari statuunt: atque naturam ipsam, qua non repugnante magna se atque praeclara omnia affecuturos esse dicendo confidunt, ita prorsus amplexantur, ut locum prope nullum in hac facultate doctrinae relinquant.

5. ~~obligatoe principia~~

Unde autem, aut quibus potissimum rationibus, ut ita sentiant, adducuntur? Primum supervacaneum laborem suscipi censem, si, cum sine studio ad summam pervenire medicinae gloriam possint, frustra eruditionis adiumenta querant atque praesidia. Deinde, cum multo faciliorem esse naturae viam opinentur, artis obscuritatem atque praceptorum varietatem et multitudinem reformidant. Postremo moventur nonnullorum etiam exemplo, qui, quan-

quanquam nec praecepta ulla didicerint, nec ea scire curarint, non minimam tamen laudem in curandis hominum morbis sunt adepti.

Quae omnia, quam levia atque inania sint, facilissime possem hic luce meridiana clarius exponere, si modo et temporis et instituti ratio permitteret. Breviter autem atque libere, quid sentio, dicam. Satis illud quidem mirari non possum: tam rudi atque hebeti quemquam ingenio reperiri, qui, cum totum hoc cognitionum genus animo complectatur, artem aliquo modo a natura seiungat, atque sola vel natura, vel ratione duce se proficere quidquam ad salutem civium aut ad nominis celebritatem posse in hoc studii genere putet, neque idem intelligat, se; dum naturam exornat, artem ipsam, quae a natura tota profecta est, exornare. Et enim, quid est aliud haec sive ars, sive studium, sive exercitatio morbos fugandi, quam collectio quaedam atque coacervatio rerum earum, quas scire debet, qui vel statum corporis sanum vel aegritudinis cognoscere, vel intimorem remedium cognitionem sibi comparare studet?

Qui

Quid aliud, quam applicatio assertionum atque veritatum, quae generatim dictae sunt a maioribus nostris, ad singulos casus? Siquidem haec antiquissima praceptorum omnium ratio fuit, non ut ea secuti homines medicae artis laudem assecuti sint, sed ut, quae sua sponte medici observarent et ficerent, ea iudicio delegerint, generibus illustraverint, partibus distribuerint, ad casus denique singulos applicuerint.

6:

Deinde hoc etiam dico: non eumdem solum artis effectum esse atque naturae, sed multo etiam nobiliorem et praestantiorum esse. — Quamobrem? Quia natura, nisi expoliatur ab arte atque perficiatur, per se rudis est et imperfecta. Neque enim ea nos tales genuit, ut, eam solam spectantes, cursum vitae praecclare confidere sine ratione atque doctrina possimus. Parvulos tantum in nobis scientiae igniculos excitavit, atque exiguae quasdam rerum notitias informavit: itaque ars adhibenda fuit, ut ad ea, quae vix inchoata acceperamus, consequentia exquireret, quoad esset id, quod cupiebamus, effe-

effectum. Etenim, ubi industria, qua artes continentur atque augentur, obtorpescit, ibi nec ingénium, quod ab ea acuitur, valere satis potest: cuius si lumen extinguitur, inertia atque torpedine plus detrimenti homines accipiunt quam exercitatione.

7.

Antea iam dixi: artem medicam, seu praxin, esse *vel* collectionem quamdam et coacervationem assertionum, quae, ex theoreticis principiis derivandae, complectuntur rationem morbos fugandi, *vel* applicationem harum assertio-
num ad singulos casus. Tali quidem modo eruitur duplex praxeos sensus. Alter versatur in generalibus et specialibus assertionibus, quae in animo concipiuntur abstrahendo: alter in applicatione harum veritatum ad morbos singulos artifici occurrentes. Dum praxi medicae generali nomen damus, intellectum tantum et memoriam acuimus: dum vero clinicis exercitatio-
nibus vacamus, imaginationē nitimur. Indivi-
dua enim materialia ab intellectu percipi non possunt. Sequitur hinc, cum raro intellectus
prae-

praestans cum praestante phantasia atque eminente iungatur, raro etiam, qui praxi generali et abstractae se consecrat, posse optime has veritates ad singulos casus applicare. Quisquis etiam semper lectulis aegrotorum assidet, raro abstrahendis assertionibus generalibus capax erit. Imaginatio enim assiduo et perpetuo exercitata debilitat atque hebetat et intellectum et memoriam. „Quicunque factitat artem, syllogismum „ad figuram D A R I I formare oportet: theore- „ticus labitur in minori, practicus fere semper „in maiori: quia maior constituitur abstractis „assertionibus, minor vero applicatione earum „ad singulos casus“ *).

Haec a me exposita praxeos medicae notio optime congruit cum S E L L I I **) celeberrimi, qui medicorum nostri aevi primos fere ordines dicit, verbis. Esse enim eam statuit compositionem ex principiis pathologicis, materiae medi-

cae

*) *Huarte examen de ingenios para las sciencias*,
c. 12. p. 247. (12. Amberes 1603.)

**) *Einleitung in die Natur- und Arzneywissen-
schaft*. S. 263. (ed. 1787.)

cae et therapeuticis; versari praeterea in cognitione, diiudicatione et curatione morborum ope remediorum idoneorum. Quodsi ad ortum harum medicinae partium respexeris, medicinam clinicam esse primam; pathologiam autem, materiam medicam et therapiam esse tantum abstractas ex ista. Factitando artem et scientiarum more excolendo observationes et experientias inde deductas, potuisse separari notiones morborum eorumque causarum ab ideis medicaminum, eorumque efficaciae, se iunctasque inde efformari artes. Cum denique nec pathologia, nec materia medica, nec therapia fuissent determinatae, seminia earum latitasse iam, vel imperfecta, in praxi medica, donec artis medicae correctio et amplificatio poposcerint partitionem eorum.

Scientifica itaque pars praxeos niti unice videtur nexus earum rerum, quas usus et experientia docuerunt.

8.

Cum itaque usus esset conditio, qua praxis medica, velut scientia, constitui atque efformari pote-

poterat, cum insuper ratio atque intellectus auxilia essent necessaria, quorum ope observationes institutae vel in ordinem redigi vel corrigi vel amplificari poterant; facile hinc ortum sectae utriusque, et *dogmaticorum* et *empiricorum*, sibi quivis explicare valuerit. Illi quidem a primis scientiarum principiis, a doctrina elementorum corporis, temperiei eiusdem, mictionis fluidorum et constitutionis solidorum progradientes, observationibus deinde magis magisque expertes, captiosis irretiti interrogationibus, ad argutum et tortuosum disputandi et dicimandi genus, velut ad unicum artis medicae finem, collimabant. Empirici vero, singulis casibus contenti, analogia, tantum historia et casu fortuito freti, spreverunt omnem ex observationibus singulis inductam assertionem generalem; neque agnoverunt scientiae medicae dignitatem; neque eruditionem, neque cognitionem corporis humani anatomicam, neque notitiam remediorum physicam requiri statuerunt. Hac utriusque sectae perpetua quasi rixa factum est, ut ambitus artis nostrae atque vere
uti-

utilem adipisceretur formam, quam confluente
utraque via, quod a saeculis tribus, et quod
excurrit, inde factum est.

IC.

Quandoquidem ad stadium medicum natu-
rae humanae pertinet et status sanus et status
corporis morbosus; duplex inde observationum
elucet ratio, earum nimirum, quae statum sa-
num earumque, quae statum morbosum com-
pleteuntur. Illas vocamus observationes *physio-*
logicas, has vero *clinicas*: quae quanquam, se-
cundum suetam studiorum methodum, longe
a se invicem distare soleant, haudquaquam ra-
men adeo alienae sunt, sed arcto connubio inter-
se cohaerent. Obiectum enim artis est et erit
corpus humanum: quo intimore huius cogni-
tione medicus poller, eo melius statum morbo-
sum fugare potest. Quicunque in perscrutan-
dis naturae humanae latebris se torquet, is op-
time meretur de ipsa clinica parte medicinae.

II.

Quanquam itaque negari nequit, no-
stri aevi medicos viam iampridem ingressos es-
se,

B

fe,



se, qua ars medica et ratione et experientia
magis confirmari, augeri, amplificari et illu-
strari possit; quaeritur tamen, an methodus ex-
colendi praxin medicam, tanquam scientiam,
applausus nostros ferre possit? Quaeritur, utrum
hac methodo id efficiatur, ut physiologi et cli-
nici idem sentiant, idem sequantur; an contro-
versiae aliquando ipsis secum intercedant? Quae-
ritur, egeantne scientiae dictae, pathologia,
materia medica et therapia, correctione et cri-
tica vanno, quibus inserviri possit medico cli-
nico, quem omnino oportet scientificam par-
tem praxeos egregie excoluisse?

Has quidem quaestiones ut moveamus,
suadet nobis consideratio status praesentis artis
nostrae, sine partium studio instituta, suadet
copia librorum cuiusvis generis indies aucta.
Quodsi enim tyro, perfecto curriculo acade-
mico, ea in usum vertere cogit, quae ex pae-
ceptorum ore et libris didicit, quot, sodes, la-
tebrae restant, quot adyta scientiarum adhuc
penetranda remanent! Quam paucas potest af-
fertiones in usum clinicum vertere! Quot axio-

mata

mata, quae pro certis atque claris ipsi vendebantur, et corrigere et, usu ipso edoctus, reverttere debet!

12.

Nonne hoc insigne atque maximi momenti damnum eo modo evitari posset, si physiologus, respectu clinico, et medicus clinicus, respectu physiologico, iunctis viribus atque sine ullo partium studio, observationes et tentamina iam instituta vanno criticae imponere, pluribus augere, atque inde assertiones, inductione certa derivatas, depromere voluerint, quibus fundamenta et pathologiae et materiae medicae et therapiaie haud levia substernere liceret. Tali ratione instituta haec ventilatio praxeos medicae studium redderet et physiologo et clinico iuniori multo iucundius multoque utilius.

In primis vero semiotices studium eget hac de integro instituta revisione. Haec enim medicinae pars aliis omnibus longe certior atque utilior, nostris quidem temporibus multas continet propositiones, quae nimis celeriter ex observationibus singulis fuerunt derivatae, multa

itaque signa, quae revera ab auctoribus obser-
vabantur, sed quae, tanquam ex individuis ob-
servationibus erutae, generalem handquaquam
ferunt applicationem. Ut huius rei exemplum
afferam, quod eam luculenter exponet, *Vieus-
senii* observatio de caeruleo et plumbeo oculo-
rum circulo et labiorum, velut symptomatibus
hydropsis pericardii, semel instituta, aliquam
veri speciem prae se ferre videtur. Ecquis au-
tem conabitur valorem generalem huic signo
tribuere, et tanquam essentiale eiusdem morbi
statuere? Nonne fortuitum et accidentale po-
tuit in isto casu occurrere?

Multa alia signa, quae semiotice profert,
ex infidis et nimis argutis observatoribus allata
sunt, qui, quidquid vellent, videre poterant.
Haec itaque, nisi iterum in iisdem morbis, sub
similibus conditionibus, instituantur, fallacia
sunt putanda. Tali modo, e. g., iudicarem
de dolore summorum digitorum in hepatis in-
flammatione et suppuratione: qui, a veteribus
quibusdam medicis animadversus, nuperis tem-
poribus haudquaquam confirmatur, neque ra-
tio

tio suadet, ut ipsum, tanquam essentiale signum,
statuamus.

Ex iis, quae modo dicta sunt, elucet, analyticam methodum, quae a singulis ad generalia ascendit, a compositis ad simplicia, unicam esse, quae in praxi medica adhiberi possit. Nulla quoque forsan humana scientia alio modo, ac analytico, excoli potest, si discesseris a matthesi et philosophia: maxime vero aliena est ars medica a synthetica methodo: quippe quae solis observationibus nititur et experimentalibus scientiis est adnumeranda. Spem autem concipere possumus, fore, ut, exulta rite analytica methodo artis medicae, valeamus etiam transire ad synthesin, quae his quidem temporibus arti nostrae idonea haudquaquam videtur. Eam praeterea imbibi sententiam, Anglos scriptores nuperis temporibus veram nobis monstrasse atque munitissimam viam, qua analysis medica perfectioni apta redditur. Summam enim artis consistere opinantur in fidis certisque observationibus, quibus nituntur, quo-

ties

ties theoremata sua in medicina proferunt. Ratiocinia eorum tanto maiorem veri speciem prae se ferunt, quanto stabilius est fundamentum experientiae, quo fulciuntur.

14.

Quodsi haec generatim pronunciata ad omnes singulasque artis medicae partes applicare iisdemque adaptare conarer, id forsitan tentaverim, quod humeri tyronis medici ferre recusarent. Deinde etiam a modestia videretur hoc consilium alienum, et iure vituperarer, quod corrigere atque reformare ausus fuerim artem, quam a limine fere tantum salutare cooperim. Ne autem circa media subsistere, atque haud satis accurata mentis trutina examinasse huiusmodi consilium videar, pauca haec accipiunto benigni lectores, neque altis contemplantor superciliis cogitata iuvenis ab arrogantia alieni.

15.

Pathologia generalis.

Gravissimam hanc medicinae partem, in qua studii multum, industriae plurimum est adhibendum, oscitans nemo potest assequi. Dubiis

biis atque ambiguis assertionibus expers prius non reddetur haec scientia, quam observationibus fidis copiosisque fuerint revisae et uberior illustratae pathologia specialis et therapia. Necesse esse videtur, clinicorum casuum copiam colligere, in singulis morbis comparare, iisdemque ratiocinia fulcire, quibus morborum natura eruatur, caussae dilucidentur, atque symptomata necessaria ab accidentalibus distinguantur.

In ancipiis adhuc positum est, utrum partitio sueta nosologiae, qua morbi fluidorum a morbis solidorum diversi statuuntur, assumi possit, an potius morbi fluidorum e toto pathologiae ambitu sint eliminati? Hinc lites inter pathologos humorales sic dictos atque eos, qui in nervorum actione summam oeconomiae humanae consistere arbitrantur: quae quidem lites componi nequeunt nisi physiologicis atque clinicis observationibus et tentaminib; Fallacibus itaque assertionibus superstructa videntur ratiocinia omnia, quae *a priori*, quod vocant, eliciuntur, neque nituntur experientia.

Aetio-

Aetiologya generalis comprehendit caussas et proëgumenas et procatarcticas, ex quibus caussa proxima eruitur. Caput totius rei versari videtur in rite observandis symptomatibus morborum, riteque distinguendis symptomatibus fortuitis ab essentialibus, rite denique discernendis effectibus a caussis. Tali modo inconclusa maneret atque firmissimis niteretur ratione aetiologya nostra. Verum enim sermonis auctoritas hic quoque esse deberet penes physiologum et clinicum medicum: a quibus quidquid inventum atque observatum fuerit, analytica methodo foret ad pathologiam philosophicam adhibendum.

16.

Pathologia specialis.

Hanc notum est complecti descriptionem morborum singulorum, diagnosis eorum et aetiologyam; ad quas efformandas solent varia systemata nosologica adhiberi, quorum optimum id erit, quod potissimum ex observationibus fidis eruitur. Classes enim, ordines et genera morborum tantum secundum symptomata necel-

necessaria animadversa diriberi; diagriosis aegritudinum nonnisi his symptomatis adaptari; caussarum cognitio solummodo his niti potest et observatis simul caussis remotis evidentibus. Quodsi itaque symptomata essentialia congruant in binis morbis, iidem quoque essentia ipsa congruere videntur. Rheumatismus, e. g., chronicus, meo arbitrio nihil est nisi arthritis ipsa, cum distingui symptomatis necessariis uterque morbus nequeat, quidquid obloqui conetur theoreticus, caussam proximam aliam statuens in hoc ac in illo morbo. Febris lenta nervosa eodem modo optime discernitur ab hectica, gastrica, mesenterica etc., cum symptomata adsint necessaria, quidquid contra pronunciaverint medici nuperiores, ad caussam latenteam proximam respicientes.

Materia medica.

Plurimum emolumenti redundare in hanc scientiam ex analytica methodo clare patet. Et enim ex effectibus tantum diiudicare vires remedium valemus: ideoque etiam optima partitionis

tionis ratio ea est, quae ab effectibus desumitur.
 Quaeritur autem, utrum solis effectibus obser-
 vatis contentus esse medicus, an etiam ad tenta-
 mina physiologorum et chemicorum, quae cir-
 ca partes remediorum constitutivas instituuntur,
 consilium transferre debeat? Ad hanc quidem
 quaestione ita respondere vellem, ut primo
 omnino loco observationes clinicas de effecti-
 bus remediorum posuerim, secundo autem ob-
 servationes chemicorum, quas etiam tali modo
 secum comparaverim, ut confirmetur, haud-
 quaquam contradictantur, observationes clinicae
 a chemicis tentaminibus. Ubi itaque haud se-
 cum congruerent, praetulerim observationes
 clinicas fidias certasque: cum hic quidem de
 effectibus medicamentorum, non de partibus
 constitutivis sermo sit; cumque illae observen-
 tur saepe ita, ut ex his explicari nequeant
 prorsus atque dilucidari. Terrea, e. g., reme-
 dia haudquaquam omnia eodem effectu, ea-
 demque vi praedita, easdem tamen partes ha-
 bent constitutivas. Quicunque ex hac identita-
 te partium constituentium ad identitatem virium
 con-

concludere auderet, is certe a veritate longe aliena assumeret *).

~~18. Augustus 1782.~~

Therapia generalis.

Haec pars medicinae, tanquam philosophia artis ipsius est consideranda: complectitur enim regulas generales, quibus munus medici adaptatur? Nonne haec scientia perperam iam synthetica methodo tractatur? Nonne requiritur uberior observationum copia, quibus, quid natura valeat, quid ars, constat? Doctrina de viribus naturae medicatricibus, quae locum omnino principem in quibusdam recentioribus compendiis obtinuit, ea est, quae pluribus adhuc observationibus illustrari et amplificari metetur. Quid enim, si docetur, instinctui obtemperare debere medicum, iubet therapia generalis? Num casus ii iamiam determinati atque extra omnem dubitationis aleam positi sunt, ubi instinctum sequi vel ipsum susque deque habere

*) Cf. HUFELAND über die wesentlichen Vorzüge der Inoculation, S. 140.

debemus? Nuperi quidam docuerunt, tunc esse
nutui huic obediendum, cum sui conscius est
aeger, cum constanter atque avide desiderat
quosdam cibos aut potus: exstant tamen variae
observationes, ubi et haec constans, conscientia at-
que avida aegri voluntas letifera esset. Regula
illa itaque haudquaquam inductione analytica
omnibus numeris absoluta nititur.

Curatio symptomatica, ab empiricis fatis
superque celebrata, a medicis dogmaticis huc-
usque neglecta plane atque contemtui tradita
est. Quaeritur, ubi et quomodo haec curatio
optime institui possit? Quae quidem quaestio
superiorum quorumdam tentaminibus nondum
est adeo dilucidata, ut nec manifestioribus, nec
uberioribus argumentis possit adhuc illustrari.

19.

Therapia specialis.

Quodsi partes medicae, de quibus iam
sermo fuit, in iustum ordinem essent redactae,
haec scientia fere nihil docere deberet, nisi ap-
plicationem legum, quas alma promulgavit
natura. At mancae cum sint atque imperfectae
adhuc

adhuc ceterae partes, multa traduntur in therapia speciali vel superflua vel importuna. Si, e.g., therapia generalis certo atque circumspecte docuerit, quomodo dolori occurrentum, sub quibusnam conditionibus mitigandus et secundus sit, quando et ubi caussae potius evidentes remotae removendae, augendus autem ipse dolor; superfluum erit, in therapia arthritidis hanc totam doctrinam reiterare. Si doctrina de viribus naturae medicatricibus, de crisi et coctione cum in pathologia, tum in therapia generali esset luculenter exposita, therapia febrium simplicium, ardantium etc. fere praetermitti, aut strictim tantum ac modice, quasi aliud agens, tractari posset. Si materiae medicae principia ex effectibus remediorum per observationes tantum eruendis satis esset enubilata, in ambiguo non amplius foret doctrina de vi antisepticorum, praesertim stimulantium, quae noxia in febribus putridis ab his, ab illis vero salutifera praedicantur: ubi quidem dolendum, quod utraque pars medicorum non satis resperxerit ad diversas febrium putridarum periodos,

quae

quae, vel nimis vegetas, vel exhaustas esse vi-
res indigitant.

Neminem itaque fore arbitror, qui neget,
longe abesse adhuc artem nostram ab ea per-
fectione, quam optant, quicunque salutem ho-
minum desiderant. Negari deinde nequit, uni-
cam viam, qua proprius accedere ad ampliorem
perfectionem ars possit, esse analyticam metho-
dum, inductionem quippe ex plurimis et fidissi-
mis observationibus institutam. Studendum ita-
que, ut ars observandi indies magis magisque
excolatur, ut hanc artem, et tanquam finem
praestantissimum et velut nobilissimum reme-
dium, quo finem hunc assequi possint, medici
semper contemplentur.

THESES.

I.

Omnis turbulenta solutio morbi crisis vocanda: quare secundum Ill. REILIIU M morbi nervosi et cum et sine materie crisi solvi possunt.

2.

Transpiratio suppressa minime caussa proxima catarrhi habetur.

3.

Dysenteria est catarrhus intestinorum.

4.

Consensus est mere et unice nervosus.

10

THESE

et alia illorum quibus una cum aliis
quibusdam etiam in Ratisbona
prioribus citatis omni modo locutus id
tempore.

et illico emimus aliquod eiusdem
tempore etiam in Ratisbona omnia.

Deinde enim ad eum deponimus

et novit enim etiam si eum sic adiungitur

W 18

PICA



SCHEDIASMA INAUGURALE MEDICUM,
SISTENS
MEDITATIONES
QUAS DAM
IN
MEDICINAM PRACTICAM
GENERATIM:

QUOD,
CONSENSU FACULTATIS ILLISTRIS,
PRAE SIDE
VIRO ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO,
IO. CHRIST. REIL,

MED. ET CHIRURG. DOCT.
PROF. THERAP. PUBL. ORDIN., DIRECT. INSTIT. CLINICI,
ACADEM. IMPERIAL. NAT. CURIOS. SODALI,

PRO
SUMMIS
IN MEDICINA HONORIBUS
DIE XXV. OCTOBRIS MDCCXCIII.
RITE OBTINENDIS
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
DAVID ELKAN DANIELS,
REGIOMONTO - BORUSSUS.

HALAE,
TYPIS GRUNERTIANIS.

Dr. Prof. Kerner

